adire deinde Bactra decreverat: sed veritus ne celeritate Alexandri occuparetur consilium itaque mu
tavit. Aberat ab eo Alexander stadia .MD. sed iam nullum intervallum adversus veloci
tatem eius satis longum videbatur. itaque prelio magis quam fuge se preparabat. xxx peditum
sequebantur in quibus graecorum erant iiii fidelium erga regem ad ultimum invicta. Fundi
torumque et sagittariorum manus iiii expleverat. preter hos iii et cc equites erant maxime
Bactrianorum. Bessus preerat Bactriane regionis prefectus. cum hoc agmine Darius paululum
declinavit via militari iussis precedere lixis impedimentorum custodibus. consilio de
inde advocato: si me cum ignavis et pluris qualemcumque vitam honesta morte
estimantibus fortuna iunxisset tacerem potius quam frustra verba consumerem: sed maio
rem quam vellem documento et virtutem vestram et fidem expertus magis tamen conari debeo: ut
dignus talibus amicis sim: quam dubitare an vestri similes adhuc sitis. Ex tot milibus
que sub imperio fuerunt meo bis me victum, bis fugientem persecuti estis. fides et
vestra et constantia ut regem me esse credam facit. proditores et transfuge in urbibus meis
regnant: non hercule quia tanto honore digni habentur: sed ut premiis eorum vestri sollici
tarentur animi: meam fortunam tamen quam victoris voluistis sequi dignissimi quibus si ego non
possum dii pro me gratiam referant et me hercule referent. nulla erit tam surda
posteritas: nulla tam ingrata fama: que non in celum vos debitis laudibus ferat.
itaque etiam si consilium fuge a qua multum abhorret animus agitassem: vestra tamen virtute fre
tus obviam hosti issem. Quousque enim in regno exulabo: et per fines imperii mei fu
giam externum et advenam regem: cum liceat experto belli fortunam aut reparare que
amisi: aut honesta morte defungi: nisi forte satius est expectare victoris arbitri
um: et Mazei et Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis unius. ut iam mal
lit ille glorie sue quam ire obsequi. nec siverint nec decus mei capitis. aut deme
re michi quisquam aut condonare, hoc imperium vivus amittam: idemque erit regni mei
qui spiritus finis: si hic animus: si hec lex: nulli non parta libertas est. nemo e vobis
fastidium Macedonum: nemo vultum superbum ferre cogetur. Sua quoque dextera
ad ultionem tot malorum pariet: aut finem. ego quidem quam versabilis fortuna sit docu
mentum ipse sum: nec immerito mitiores vices eius expecto: sed si iusta ac pia bella
dii aversantur fortibus tamen viris licebit honeste mori. Per ego vos illa decora ma
iorum qui totius orientis regna cum memorabili laude tenuerunt: per illos viros: quibus
stipendium quondam Macedonia tulit: per tot navium classes in Greciam missas:
per tot trophea regum oro obtestorque: ut nobilitate vestra gentisque dignos
spiritus capiatis: ut eadem constantia animorum: qua preterita tolleravistis experiamini
quicquid deinde fors tulerit. me certe in perpetuum aut victoria nobilitabit aut
pugna. Hec dicente Dario presentis periculi species omnium simul corda animosque horrore
perstrinxerat: nec aut consilium suppetebat aut vox. cum Artabazus vetustissi
mus amicorum: quem hospitem Philippi fuisse sepe diximus: Nos vero inquit pretio
sissimam vestem induti: armisque quanto maximo cultu possumus adornati re
gem in aciem sequemur: ea quidem mente ut victoriam speremus: mortem non recusemus:

l° dii
l° possit
l° egregia

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_914/0066
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG